



409

An, quia res præscita

à DEO, ideò sit futura? Num, quia futura, idcirco à Deo sit præscita?

Publicè disputaturus

SUB PRÆSIDIO

CHRISTIANI DONATI,

Log. ac Met. Prof. P. Extr. nec non Facult. Philos.
Adjuncti,

Pro viribus explicabit

JULIUS SURLAND,

HAMBURGENSIS.

Ad diem XXVII. Jan. Anni Salut. cl^o l^o LXXVII.

Hor. antemerid. In Audit. Major.



WITTENBERGÆ,

Ære publico MATTHÆI HENCKELII, Acad. Typogr.
ANNO M. DC. LXXVII.

AN, DIVI, ES, P, R, A, E, S, C, I, T, A

à Deo, idem in figura, Nam, divi in
tuis, idem à Deo in practica;

Publice in
SUE P, R, A, E, S, I, D, I, O

CHRISTIANI DONATI.

Log. de Met. P. P. nec non Facult. Philo.
Adm.

Pro Libr. respicit

JULIUS SURLAND.
HAMBURGENSIS

editum in
Hamburg.

in officio typographico

WITTEBERGAE

Typographo MATTH. HENCKELII, Aed. Typogr.
ANNO M. DC. LXXVII.



Cum Deo!

§. 1.

TAmetsi extiterint olim, ac den-
tur etiamnum hodiè, qui non uno no-
mine labefactent divinam Præscientiam :
nemo tamen, quantum mihi constat, eò au-
daciæ unquam est progressus, ut ne aliquam
futurorum notitiam Deo reliquerit: quin
tam expedita jam in scholis doctorum,
èqve solidis deducta fundamentis ea res est, ut unanimiter omnes
(paucis saltem exceptis, qui divinum è suo metiuntur intelle-
ctum) quicquid ullo modo futurum aut est, aut fuit olim, jam
tum ab æterno, priusquam existeret, tanquam revera aliquando
futurum, prævitum à Deo atqve cognitum fuisse, statuunt. Inte-
rim tamen mansère cum ipsâ veritate (uti fit in rebus arduis, ac
sortem humanam præsertim transcendentibus) difficultates non-
nullæ, sive ex sublimitate rei, sive ex infirmitate mentis humanæ,
ortæ: quæ, uti fatigârunt olim etiam exercitatisima ingenia, ita
adhuc dum multis multum negotii solent facessere. In iis haud
postrema videtur esse, quam problema illud satis decantatum
suggerit, quo quæritur: *An, quia res præscita à Deo,
ideò sit futura? Num, quia futura, ideò à Deo
præscita?*

§. 2. Scilicet non hodiè demum, aut nudius tertius, na-
ta hæc controversia est: sed jam prisca agitata temporibus inter
Scholasticos, quin & Patribus primitivæ Ecclesiæ mota primùm,
ut videtur, ac disputata in partem utramque fuit: priorem aliis,
aliis

A 2

aliis posteriorem sententiam, rejectâ alterâ, apprehendentibus, uti jam latius dicturi sumus.

§. 3. Primùm enim reperiuntur nonnulli, qui, non propterea aliquid à Deo præsciri, quia futurum est, sed ideò potius aliquid futurum esse, quia à Deo præscitur, disertè tradunt. Ita namque è Patribus Augustinum atque Gregorium loqui, dudum à Scholasticis observatum est. Etenim Augustinus L. XV. de Trinit. cap. XIII. *Universas creaturas suas, ait, & spirituales & corporales, non quia sunt, ideo novit (Deus); sed ideò sunt, quia novit: non enim nescivit, quæ fuerat creaturus: quia ergò scivit, creavit; non quia creavit, scivit.* Quibus gemina & L. VI. de Trinit. c. X. reperias. Gregorius autem L. XX. Moral. c. 23. (aliàs 24.) *Quæcunque sunt, inquit, non ab eterno ideò videntur, quia sunt; sed ideò sunt, quia videntur.* Quamvis hi Patres communiter excusentur ab iis, qui oppositum hic defendunt; idque modo ac ratione variâ, pro eâ, quam quisque optimam interpretationem putat.

§. 4. Sed utcunque etiam mens Patrum istorum se habeat: certè aliorum tamen hanc sententiam esse, quam verba allegata præ se ferunt, plusquam certissimum est. Non enim possunt, quin id omninò dicant, quotquot scientiam visionis (quæ ipsa Præscientia est) causam rerum faciunt; ceu infra patebit consecutio. Ac certè sunt in Scholasticis (si vera refert Didacus Ruiz Disp. 15. de Scient. Dei s. 3. n. p. 121.) ut Zumel, Crabrera, Alvarez, Cabezudo, Navarret, Ledesma atque alii, qui veram esse propositionem, Ideò res sunt futuræ, quia præsciuntur scientiâ visionis, sed è contrario falsam, Ideò res præsciuntur à Deo, quia futuræ sunt (locis ibidem citatis) contendunt. Quæ assertio, uti nec incongrua aliàs est Reformatorum hypothésibus, ita digna Maccovio præsertim visa fuit, quam suis fideliter inculcaret. Is enim cap. 4. Theol. Pol. qv. 5. p. 24. *Omnes res sunt, inquit, quia intellectus increatus scit; non verò scit, quia sunt.* Et cap. 1. L. πρωτ. ψυδ. Armin. p. 103. *Errorem dicit, Deum scire actûs liberos, quia sunt, non verò esse, quia scit.*

§. 5. Contra verò alii, longeque plures prioribus, istis adversum tenent: Ideò scilicet aliquid à Deo præsciri affirmantes,

tes,

tes, quia sit futurum; minimè autem propterea futurum esse, quia à Deo præsciatur. In quam sententiam primùm Patres nonnulli, & Græci & Latini, satis luculenter disputant. Origenes enim L. VII. in Ep. ad Rom. ad c. VIII. dicit: *Non propterea erit aliquid, quia id scit Deus futurum; sed quia futurum est, scitur à Deo, antequam fiat*: id quod exemplo proditiōis Judæ in subsequentibus benè illustrat. Et Hieronýmus in cap. XXVI. Jerem. *Non ex eo, inquit, quod Deus scit futurum aliquid, idcirco futurum est; sed quia futurum est, Deus novit*. Item Dial. 3. contra Pelag. inquit: *Non ideò peccavit Adam, quia Deus futurum noverat; sed præsciuit Deus, quod ille erat propterea voluntate facturus*. Quibus & Augustinum (et si aliàs pro sententiâ oppositâ citatum) communiter addunt, propterea quòd is L. V. de C. D. c. 10. *Non ideò, ait, peccat homo, quia Deus illum peccaturum præsciuit; imo ideo non dubitatur, ipsum peccare, cum peccat, quia ille, cujus præscientia falli non potest, non fatum, non fortunam, non aliquid aliud, sed ipsum peccaturum esse præsciuit, qui, si nolit, omninò non peccat, sed si peccare noluerit, etiam hoc ille præsciuit*. Cæteros, quos alii pro eadem sententiâ allegant, lubens prætereō.

§. 6. Faciunt autem cum hisce doctoribus reliqui fermè omnes, quotquot saltent doctrinam de Præscientiâ divinâ in suis scriptis attigerint. In Scholasticis, si placet, Molinam qv. 14. art. 13. disp. 17. p. 211. Didac. Ruiz. Disp. 36. l. c. 1. i. p. 308. Fonseca lib. 6. Met. c. 2. qv. 4. Sect. II. p. 131. Bellarminum L. 4. de Grat. & Lib. Arb. c. 13. Svarezium L. 1. de Sc. Fut. c. 5. n. 7. Vazquezium disp. 68. in I. Th. c. 6. p. 367. atque Smilingum n. 115. l. d. p. 376. adeas, & sat multos alios cum his sentientes invenies. E Reformatis idem post alios & Voëtium in Theol. Natur. Ref. p. 300. n. 9. atque Schulerum L. 2. Exerc. Phil. exerc. 12. p. 153. propugnare videbis. Nec quenquam nostratum me legisse memini, qui contrarium hic statuatur: quin idem potiùs à B. Jac. Martini P. 1. D. sp. in A. C. Disp. 8. qv. 12. p. 153. & Venerando Dn. D. Calovio T. 2. Syst. c. 10. qv. 6. p. 524. aliisque inculcari reperio.

§. 7. Atque ita vidimus antagonistas. Nunc quid de placito utroque habendum putem, disputandum mihi prolixius constitui. Sed hinc frustra me omnem sumpturum operam faci-

le intelligo, nisi antè, cuius generis sint istæ Propositiones, quibus utraqve pars quæsitæ effertur, & quid præsertim ad veritatem earum requiratur, exposuerim luculentius atqve solidè firmerim.

§. 8. Scilicet Propositiones, ex quibus conflata atqve connexa quæstio proposita est, duæ omninò sunt, uti nemini non constat: una, *Quia res præscita à Deo, futura est;* altera, *Quia res futura, à DEO, est præscita.* Ubi nonnunquam inserunt particulam *Ideo* vel *Idcirco*, aut *Propterea*, sensus complendi gratiâ; uti & nos supra in inscriptione & 1. §. fecimus: interdum verò eandem omittunt; uti hic à nobis factum. Quandoqve transponunt earum partes, dicendo: *Propterea rem futuram esse, quia præscita à DEO: aut, Ideò rem à DEO esse præscitam, quia futura:* quo modo adhuc dum eundem, quem antea, sensum gignunt.

§. 9. Jam utraqve illarum Propositio Causalis Dialecticis dicitur. Estqve ea (si descriptio danda accuratior) quæ per particulam causalem sub certâ causâ aliquid esse vel non esse enunciat; ceu est illa vulgaris, ex gr. *Quia lapis est gravis, descendit.* Ubi ad tria te attendere velim diligenter: ad materiam, ad formam externam, & ad internam. Materia nempe Propositionis Causalis duæ semper propositiones simplices sunt: quarum illa, quæ causam alterius continet, Antecedens, altera Consequens, appellationem habet: uti in adductâ Causali Antecedens est, *Lapis est gravis;* Consequens, *Lapis descendit.* Saltem addendum, quod prior simplicium Antecedens dicatur, non quod semper, sed quod plerumqve ac ordinariè, antecedit. Aliàs enim solent quandoqve transponi hæ partes, eadem Causali manente, ut consequens priori, & antecedens posteriori loco ponatur, dicendo: *Lapis propterea descendit, quia gravis est;* uti etiam cum nostris fieri, §. proximè antecedenti jam annotavimus. Forma externa Propositionis Causalis est particula seu conjunctio

ctio

Etio causalis, Quia, Quoniam, Quandoquidem, aut similis (quam
 & Copulam illius dices) antecedenti semper præfixa aut in-
 ferta; idque sive cum, sive sine Causali redditivâ Ideò, vel Idcirco,
 aut Propterea, consequenti applicata. Hanc Formam Causalis
 dico: quia per eandem Causalis & constituitur formaliter, & à
 quibusvis aliis sufficienter distinguitur: constituitur scilicet; quia,
 si omisâ hâc particulâ dicerem, Lapis est gravis, & Lapis descen-
 dit, nondum Causalem proferrem, sed tum demum Causalem
 formo, quando per particulam Quia istas duas propositiones
 connecto, inquam: Quia lapis gravis est, descendit, aut, Lapis
 quia gravis est, propterea descendit: distinguitur autem; quia
 hæc particula solius Causalis character est, cæteræ propositiones
 huic contradistinctæ aliâ atque aliâ particulâ discernuntur; ut
 postea explicabitur. Sed voco eandem formam Causalis Exter-
 nam: hæc enim saltem signum externum est formæ Causalis In-
 ternæ, ipsi correspondentis; per quam sensum intelligo, quem
 ista Causalis quæ talis gignit. Unde jam forma Propositionis
 Causalis Interna in eo consistit, quod ista rem sub sensu causali
 enunciet, hoc est, quod dicat in consequenti aliquid esse, vel non
 esse, sub & propter causam in antecedenti adductam. Atque
 hanc formam Causalis internam appello, quia per eandem Cau-
 salis ratione sensûs atque valoris sui intrinsecè constituitur ac di-
 stinguitur satis à cæteris.

§. 10. Dixi: per duplicem formam distingui propositio-
 nem Causalem à cæteris. Non vacat autem, nec refert adeò, de
 singulis id exponere. Sufficit de binis saltem, de Hypotheticâ
 scilicet ac Rationali, cum quibus ista maximam alias cognatio-
 nem habet, hoc ostendisse breviter. Juvat autem hîc singula-
 rum descriptiunculam apponere, ut per easdem expediri ea res
 tanto facilius possit. Est, inquam, Hypothetica Propositio,
 quæ per particulam conditionalem sub certâ conditione aliquid
 enunciat: Rationalis, quæ mediante conjunctione rationali ali-
 quid ex altero infert: Causalis denique, quæ, ut ante dictum, per
 particulam causalem sub certâ causâ aliquid esse vel non esse e-
 nunciat. Dico igitur, ultimam harum convenire quidem cum
 reliquis posse materialiter; ita ut omnes eodem & antecedente &

con-

consequente gaudeant: formaliter tamen semper differre, quantum ad formam, cum externam, tum internam. Etenim forma externa Hypotheticæ non nisi conjunctio conditionalis Si aut Nisi, antecedenti præfixa, est; dicendo in materiâ paulò ante assumptâ: Si lapis est gravis, descendit: Rationalis, conjunctio conclusiva Ergo, vel Ideo, aut similis; inferendo in eâdem materiâ: Lapis est gravis; ergò descendit: Causalis verò, particula (ut vidimus) causalis Quia aut similis; pronunciando: Quia lapis est gravis, descendit. Unde & alia atque alia earundem forma interna datur. Siquidem Hypotheticæ forma interna in eo est sita, quod ista sub certâ conditione aliquid enunciet: Rationalis, quod è suo principio aliquid inferat: Causalis denique, quod sub certâ causâ aliquid esse vel non esse pronunciet; uti ex dictis jam satis est perspicuum.

§. II. Constitit de differentiâ propositionis Causalis ab iis, quibus cum ipsi non omninò nulla aliàs intercedit similitudo ac convenientia. Quo simul illud, nâ fallor, effectum est, ut non temerè quisquam (qui modò rectè ea, quæ dicta sunt, secum reputet) eam vel cum Fonseca L. 3. Dial. c. 15. p. 138. ad Hypotheticam, vel cum Scheiblero c. 5. Tract. de Propos. n. 58. atque Hornejo Disp. 5. Log. th. 54. p. 126. aliisque doctoribus logicis, ad Enthymemata ac Syllogismos imperfectos, sit relaturus. Ac de Hypotheticis quidem res satis est clara, quod longè alia earum, quàm Causalium, sit ratio: ut prorsus supervacaneum putem, plura eam in rem exponere. Quantum verò ad Rationales attinet, tametsi illas quidem Syllogismum aut rectiùs argumentationem Enthymematicam, atque adeò non tam unam, quam duas propositiones separatas esse, facilè largiar: de Causalibus tamen ut idem affirmem, nihil, quod me inducere possit, omninò reperio. Tantum enim abest, ut ad Enthymema aut quemcunque alium Syllogismum constituendum semper aptæ sint partes, ex quibus constat Causalis propositio, ut in plerisque, optimis alioquin ac ex confessione omnium verissimis, nihil absurdius sit (uti postea videbimus) quam consequens illius ex antecedente inferre aut colligere velle; id quod tamen ad rationem Discursûs seu Syllogismi absolutè necessarium esse, neminem, qui saltim primori-

mori,

moribus labris doctrinam syllogisticam attigerit, latere potest. Accedit, quod quamdiu propositio Causalis signum sui formale ac proprium (π Quia) retinet, nec actu habeat, nec admittat etiam notam collectionis characteristicam Ergò: et, si quidem aliam inserat consequenti conjunctionem ratiocinativam, (uti inferere nonnunquam, ipse supra docui) tùm nec necessariò eam, nec semper habet, nec, cum habet, sine particula causali, atque sub alio, quam sensu, causali adhibet. Ac certè si propterea statim propositio Causalis pro Syllogismo putanda, quod consequens illius per bonam consequentiam ex antecedente inferre liceat (uti licere in nonnullis, minimè diffiteor) haud equidem video, cur non & Hypothesica propositio, in quâ idem plerumque usu venire solet, eximenda propositionum numero sit, & ad dignitatem syllogisticam evehenda quoque. Sed mitto plura adferre eam in rem, quæ parum forsan difficultatis habet.

§. 12. Cæterùm, ne quid dubii circa hoc genus orationis remaneat, speciem Propositionis Compositæ, dictam Causalem esse, si forsan ambigat quisquam, circa eandem hoc loco meminere. Etenim non nudum terminum eam esse, per se constat: sed nec esse Syllogismum, paulò ante patuit: denique nec pro simplici venditari propositione posse, ex eo, quod actu ex duabus perfectis enunciationibus sit conflata, facile ostenditur. Oportet itaque, ut vel propositio logica composita sit, vel saltem aliqua periodus grammatica, ex duabus diversis sententiis, per qualemcunque conjunctionem grammaticam conglutinatis, facta; cuiusmodi aliàs propositio Discretiva est, quam Compositis nonnulli Dialecticorum accensent. Sed hoc posterius nemo, opinor, affirmaverit facile. Ut igitur prius asseramus atque putemus animo, consequitur. De quo quidem dubitare alias cum maximè id prohibet, quod Causalis propositio planè ad modum cæterarum Compositarum, præter veritatem partium, in se spectatarum, adhuc peculiarem veritatem compositionis involvat, ortam nempe ex causali particulâ (α quâ habet, ut sit Causalis) justè adhibitâ: id quod tamen de cæteris periodis grammaticis verificari minimè quidem potest.

B

§. 13.

§. 13. Atque ita satis de natura Propositionis Causalis, nec quicquam tamen pro ratione instituti supervacaneum, disserui. Proximum jam est, ut in rationem Veritatis & Falsitatis illius inquiram: quò tandem tota dilabitur controversia, quam mihi ventilandam hinc initio proposui. Nec enim incapax horum prædicatorum (num affectionis, an differentiarum nomine venire debeant? non disputo) Propositio Causalis esse poterit, ubi eam propositionem logicam esse, satis paulo ante à nobis fuit evictum.

§. 14. Ad Veritatem itaque propositionis Causalis tria requiri docet Fonseca Lib. 3. Instit. Dial. cap. 15. pag. 138. primò, ut consequens per bonam & aptam consecutionem sequatur ad antecedens: tum, ut verum sit & antecedens & consequens: denique ut antecedens veram causam contineat consequentis. *Atque hinc fieri, ait, ut hæc sint falsa: Quia Sol lucet, Socrates dormit; Quia Sol est ignis, calefacere potest; Quia Sol deficit, Luna interponitur inter nos & ipsum: prima, quia consecutio non est bona; secunda, quia antecedens non est verum; tertia, quia in antecedenti non est causa consequentis, sed potius effectus.* Ut adeò ex mente Fonseca Causalis Falsa sit, quando vel consequens non sequitur ad antecedens, vel alterutrum eorum falsum existit, vel denique in antecedenti non ponitur vera causa consequentis. Facit cum Fonseca, quantum ad hanc doctrinam, etiam Scheiblerus num. 57. l. c.

§. 15. Sed contra Stahlius in Quæst. Log. qv. 76. §. 4. pag. 547. negat, primi requisiti absentiam veritati propositionis causalis quicquam derogare: inq; fidem hujus asserti è multis, quæ posse adferri, ait, exemplis hoc allegat, si quis, viso fure patibulo affixo, dicat: *Quia hic furti convictus fuit, suspendii poenâ affectus est: addito etiam Augustini Hunnæi, quem pro se citat, exemplo; Quia peccavit homo, punitus est: siquidem nec illuc sequatur, Hic furti convictus fuit; ergo suspensus est, aut suspendetur: neque hinc valeat collectio, Homo peccavit, ergò punitus est.* Et ne quis excipiendo, non requiri semper necessariam consequentiam, sed sufficere nonnunquam saltim probabilem, qualis in exemplis adductis detur, eludat vim argumenti, aliud propo-

propo-

propositionis Causalis subdit exemplum, istud nempe: Quia præceptor in discipulum paulò severiùs animadvertit, ab eo interfectus est; ubi ne quidem probabilis sit consecutio. Benè hæc omnia se habent, meo iudicio, quæ pro suo, quò fuisse prædicatur acumine, monet doctissimus Vir: sed ejusmodi tamen, quæ pro re istâ pleniùs expediendâ, aliquantò majori diductione habeant opus.

§. 16. Scilicet non eadem est omnium Propositionum Causaliùm ratio, sed diversa maximè atque multiplex pro causæ ipsius [cujus character atque index est particula Quia, in Causali adhibita] multiplici diversitate. Et ut de causæ varietate primum exponere instituam, ea duplex in universum est: Cognoscendi seu Illativa alia, alia Essendi seu Productiva. Voco autem Causam Cognoscendi seu Illativam, ex quâ aliquid cognoscitur aut infertur: uti est ex gr. totum quodcunque (sive essenziale sive integrale) respectu partium, ex quibus id est compositum: sic effectus respectu causæ, à quâ est productus: & causa vicissim respectu effectûs, qui necessariò ab ipsa producitur: item signum respectu sui signati: & si quæ hujus generis alia. In metaphisicis, & alibi passim, Causa hæc Principium cognoscendi incomplezum dicitur: uti notum. Ubi advertas, Causam istiusmodi aliàs Infallibilem esse, aliàs Probabilem tantùm. Etenim Infallibilis Causa Cognoscendi seu Illativa Dei existentia v. g. mundus est; oppositionis luminarium, eclipsis lunaris; solis jam orituri (in spærâ rectâ præsertim) aurora. Sed Causa Cognoscendi seu Illativa saltem Probabilis ex. gr. vini vendibilis est hederâ suspensa; futuræ tempestatis bonæ, rubedo vespertina; levitatis animi, incessus inæqualitas; & ita porrò. Causam verò Essendi seu Productivam appello, à quâ quid quomodocunque est vel producitur. Nonnulli priorem Causam vocant Causam Cognitionis; & posteriorem Causam Productionis, ex ratione dictâ. Aliquibus prior etiam audit Causa Consequentia; & posterior Causa Consequentis: illa quidem ita satis benè; hæc autem obscuriusculè, nec nisi inadæquatè; quod aliunde notum.

§. 17. Jam pro amplitudine Causæ illius essendi seu productivæ rectiùs pernoscendâ, distingvendum primum inter Cau-

sam proprie dictam, & improprie talem seu Conditionem sine
quâ non. Causa nempe proprie dicta est, quæ quomodocunque
influendo facit, ut sit vel producat aliquid; cuiusmodi causa
combustionis ædium est ignis; illuminationis conclavis, sol, &
ita porro. Sed Causa sine quâ non est, quæ quidem non influit
in id, cuius causa esse dicitur, nec influendi vim habet, est tamen
conditio necessario prærequisita, sine quâ id, cuius causa esse di-
citur, fieri aut esse non potest; qualis jam est (ut in vulgatis &
ante adhibitis exemplis maneam) approximatio ignis, respectu
combustionis ædium; remotio valvarum, respectu illuminatio-
nis conclavis; & cætera ejusdem generis.

§. 18. Tum verò Causa illa proprie dicta commodè hinc
iterum dispescitur in Efficientem, Impellentem & Finale: qua-
rum illa ipsum agens principale est, quod agendo aliquid efficit:
ista id ipsum, à quò agens principale ad agendum impellitur; hæc
denique istud, quod agens suâ actione intendit; sicuti res satis
nota ex exemplis passim obviis est, quam proinde exponere la-
tius hic supersedeo.

§. 19. Postremò multum hinc juvat etiam circa Causam ef-
fendi seu productivam, inter causam realiter, & virtualiter, cau-
santem distingvere. Causa scilicet realiter causans est, quæ facit
aliquid esse, id ipsum realiter producendo: cuiusmodi Deus ex-
gr. est respectu creaturarum; sol respectu diei; animal respectu
suæ sobolis; & sic porro. Causa autem virtualiter causans ap-
pellatur, quæ quidem id, cuius causa esse dicitur, non realiter
producit, est tamen ejus ratio essendi à priori, quâ positâ aut da-
tâ, non possit non etiam id poni aut dari, cuius causa esse dicitur:
qualis causa indivisibilitatis essentialis spiritualis v. c. est ipsius im-
materialitas; æternitatis Dei, ejus independentia; immortali-
tatis, immutabilitas; & sic deinceps. Usitatius hoc genus cau-
sæ Principium essendi virtualiter causans, item Ratio & Ratio à
priori, quàm Causa absolutè (etsi nonnunquam tamen) dicitur.

§. 20. Sed ita quidem pro ratione instituti dirimere cau-
sas atque describere tantisper in loco præsentis placuit: non e-
nim attinet, aut constitutum mihi fuit, hinc adeò strictè metaphy-
sicorum legere vestigia, aut quid de causis in rigore metaphysico
traden-

tradendis videatur, exponere: sufficit saltem earum hinc commo-
dam dedisse distributionem, quas etiam extra philosophiam
Causas dicere, atque adeò in propositionibus Causalibus plerum-
que allegare Latini soleant; cæteris omninò misis, quas licet
philosophi in causis numerent, ipsi tamen Latini, aut reliqui po-
puli, indolem lingvæ suæ nativam secuti, vix nomine isto appel-
laverint.

§. 21. Atque his ita, uti oportebat, præmissis, ipsarum-
met propositionum Causalium varietatem ac discrepantiam tra-
dere jam aggredior. Est scilicet Propositio Causalis duplex in
genere: Illativa alia, alia Purè enunciativa: (planè uti de Hy-
potheticâ Mendoza tradit Disp. 4. Summul. l. 3. §. 9. atque iò.)
Et quidem Propositio Causalis Illativa est, quæ propter causam
illativam aliquid esse vel non esse ita enunciat, ut consequens se-
qui ad antecedens indigitet. Propositio verò Causalis Purè enun-
ciativa est, quæ propter causam tantum productivam aliquid esse
vel non esse ita enunciat, ut ad positionem antecedentis & conse-
quens saltem poni significet. Atque adeò propositiones Causa-
les Illativæ sunt v. g. Quia lapis est gravis, deorsum fertur: Quia
mundus datur, & Deum esse consequitur: Quia sol patitur
eclipsin, plenilunium est: Quia hoc animal est, etiam vivum est.
Purè enunciativæ autem ex. gr. Quia Rex Galliæ injustè invasit
Germaniam, omnes Imperii Romani Status contra eum insurre-
xerunt: Quia iste injuriis lacesivit adversarium, ab eodem in æstû
iræ est interfectus: Quia homo peccat, à Deo punitur: Quia
nulla res est, quæ perferre possit laborem continuum, danda est
omnibus aliqua remissio: Quia Deus est verax, ipsi dicenti cre-
dendum: item, Quia juvenis hic eruditionis solidæ est cupidus,
diligentem navat literis operam: Quia Turca imperium ampli-
ficare cupivit, invasit Hungariam: sic, Quia vidit hic amicum in
foro deambulantem, eum salutavit: Quia ignis in ædes est con-
jectus, ædes incensæ sunt: Quia hic furti fuit convictus, suspen-
sus è patibulo est; & quæ hujus generis sunt alia.

§. 22. Porro autem Propositio Causalis Illativa specialiter
ita variat adhuc, ut alia sit Causalis specialiter sic dicta, alia Illa-
tiva tantum. Nempe propositio Causalis specialiter sic dicta est,
quæ

quæ propter causam non illativam solum, sed & productivam, aliquid esse vel non esse pronunciat: cujus generis sunt, Quia lapis est gravis, deorsum fertur: Quia levis est ignis, sursum petit: Quia caput homini huic est amputatum, ideò mortuus est: Quia sol lucidus est, orbem terræ illuminat: Quia terra inter solem & lunam interponitur, luna patitur eclipsin: Quia ferrum ignitum est, urit: sic, quia Deus est independens, etiam æternus est: Quia spiritus est immaterialis, est & indivisibilis: Quia anima humana est immutabilis, etiam incorruptibilis est: & ita porro. Propositio verò Causalis Illativa tantum est, quæ propter causam illativam solum, aliquid esse vel non esse edisserit: cujusmodi sunt: Quia lapis descendit, gravem esse oportet; Quia mundus datur, ideò & Deus existit: Quia sol patitur eclipsin, novilunium jam est: Quia homo iste respirat, vivit adhuc: Quia fumus ex hoc loco ascendit, ignem adesse necessum est: & quæ hisce similes.

§. 23. Denique & propositio Causalis Illativa (in genere) vel Infallibilis est, vel Probabilis: Infallibilis, quæ causam infallibiliter inferentem continet; Probabilis, quæ causam saltem probabiliter inferentem complectitur. Ita Causales illativæ infallibiles fuere, quas §. proximè antecedente allegavi. Probabiles autem sunt, cum dicitur vulgò, at non ex vano tamen: Quia jam pallida est luna, pluet: Quia hederam hic est suspensam, vinum ibi dabitur vendibile: Quia homo iste incesu inæquali utitur, animi levis est: & sic consequenter.

§. 24. Ex dictis igitur nunc facile erit, controversiam superius de veritate propositionis Causalis motam decidere: in cuius rei gratiam hæc de varietate Causarum, ipsarumque adeò propositionum Causalium tam prolixè diligenterque exposui. Videlicet certum quidem est (quod suprà Stahlius contendebat) non requiri præcisè ad Propositionem Causalem veram, ut consequens per bonam consequentiam sequatur ad antecedens. Nam quas adduxi superiori §. propositiones Causales pure enunciativas, eæ in dubium, credo, haud temerè vocabuntur ulli: & sunt tamen non minus Causales veri nominis, ac quas Illativas, vel etiam Causales specialiter sic dictas, appellavi, quasque pro talibus acceptant communiter; uti omninò evincunt, quæ §. 9. ac subsequenti edocui.

§. 25.

§. 25. Unde jam dico : Omnino duo tantum ad Veritatem propositionis Causalis requiri : primum , ut verum sit & antecedens & consequens , in se spectata : deinde , ut antecedens causam consequentis qualemcunque contineat. Scilicet, utrumque horum necessarium esse, inde liquet : quia si antecedens non contineret causam consequentis, & tamen consequens sub respectu antecedentis, ceu causae suae, enunciaretur, propositio rei enunciatae minimè congrueret ; quia aliquid sub & propter certam causam esse diceret , quod tamen sub aut propter eandem haud esset : si verò antecedens esset falsum, nec vera causa consequentis esse posset : denique si consequens esset falsum, nec antecedens pro sui causâ agnosceret : in quo utroque posteriori casu propositio iterum rei enunciatae haud congrueret. Atqui sufficere tamen haec duo requisita ad veritatem causalis, ex eo indubitato relinquitur : tum quod nullum hactenus allegatum sit requisitum aliud, quin spurium esse fuerit compertum : tum quod nec ullum inventum sit exemplum propositionis Causalis, quod falsum extiterit sub istis duobus requisitis.

§. 26. Sed notanter voci causae, dum secundum definitionem requisitum, adjeci particulam, qualemcunque ; ut innuerem scilicet, perinde esse ad veritatem propositionis causalis in genere, qualiscunque in antecedenti illius causa adhibeatur, sive sit causa consequentis illativa tantum, sive simul productiva, & haec vel realiter, vel virtualiter causans, juxta eam ipsam varietatem, quam à 16. ad 19. usque §. exposui. Ratio haec est : quia omnia ista, quae ambitu harum caularum complexus sum, Causae Rationisque nomen, si non ex usu loquendi classico, satis tamen recepto, tenent, atque adeò apta de sunt, propter quae aliquid mediante particulâ causali Quia causaliter enunciatur ; uti ex exemplis datis est apertissimum.

§. 27. Equidem vereor, ut hîc calculum feram ab omnibus. Nam Fonseca, ubi loco Dialecticæ superiùs citato ad veritatem causalis opus esse, ut in antecedente sit vera causa consequentis, dixerat, propter defectum hujus requisiti, *illam, Quia sol deficit, luna interponitur inter nos & ipsum, falsam esse, ait,*

quia

quia in antecedenti non sit causa consequentis, sed potius effectus. Ibidemque propositionem Causalem sæpe in sensu rationali usurpari inquit: ut si dicas, *Quia Socrates est homo, consequi ut sit animal.* Sed hanc propositionem Causalem (ceu improprie dictam) proprie tali contradistinguit. Idem fermè & Scheiblerus l. d. inculcat. *Hæc, inquit, Quia homo est risibilis, ideo est & capax discipline, non est verè Causalis propositio. Etsi enim pars utraque vera sit, & consequens etiam rectè sequatur ad antecedens, quia tamen, esse risibilem, non est causa, cur quis sit capax discipline, ideo istam propositionem doctores ajunt, non esse causalem.* Quam sententiam fovere & Vazquezius videtur, dum n. 38. l. c. particulam *Quia*, in propria significatione acceptam, notam non consequentiæ illativæ, sed causalis esse, ibidem asserit. Quin etiam Stahlius §. 9. l. d. Fonseca, quantum ad hoc assertum, planè adstipulatur: *Est autem propositio Causalis, inquit, quando conjunctio Quia & similes denotant causam rei; quod quidem non est perpetuum. Sæpe enim significant rationem, ex quâ aliquid infertur, etiamsi ea effectus sit, aut quodvis aliud, quod causa non est.* Ut adeò juxta hos auctores Causalis proprie dicta non sit, nisi sola illa, quam ego Causalem specialiter sic dictam supra appellavi.

§. 28. Enimvero nihil ego dictum hætenus ab iisdem vidi, quod me dimovere à sententiâ præconceptâ valeat: quin perstare eam adhuc firmam suis fundamentis, quæ paulò ante jeci, reperio. Ac primum quidem extra controversiam, & in confesso apud omnes, etiam quos modò contradicentes citavi, positum esse duco: verissimas esse illas propositiones Causales Illativas tantum; de quibus, num rectè accenseantur Causalibus veri nominis, jam disputo. Atqui sunt tamen ita comparatæ hæ sententiæ, ut nihil iis ad propositionem causalem deesse videatur. Quandoquidem constat unaquælibet earum duplici propositione simplici, antecedente unâ, alterâ consequente: suntque hæ duæ connexæ per conjunctionem causalem *Quia* ad sensum compositum: ita ut consequens sub sensu causali vero (etsi illativo saltem) per respectum scilicet causæ illativæ, in antecedenti positæ, enunciatur. Tùm autem non video, quamobrem, si purè enunciativæ, quas proposui supra, veri nominis Causales sunt, non

non

non etiam jure æquali aut potiori, quas tantum Illativas appel-
lavi, pro Causalibus propriè dictis sint habendæ: siquidem in
his clariùs longè, quam illis, quamobrem aut quam ob causam
aliquid esse dicatur, exprimitur. Nec verò è numero Causali-
um, quas purè enunciativas dixi, credo, extrudent temerè adver-
sarii: siquidem ipse Stahlius, evicturus contra Fonseca, ad ve-
ritatem Causalis necessariam non esse consequentiam, tales al-
legat: quas certè nisi pro Causalibus propriè dictis habuisset, ju-
re citare eum in finem atque urgere haud potuisset; uti perspi-
cuum.

§. 29. Est equidem, quod hic excepturos dissentientes ex
verbis eorum citatis auguror: propositiones allatas, quas ego
causales Illativas tantum nominavi, veras quidem propositiones
esse, non tamen verè seu propriè Causales; eò quòd particula
Quia in iisdem non causaliter, sed rationaliter, capiatur. Sed e-
nim nihil ego adhuc inde meæ sententiæ metuo. Nam utut haud
invitus largiar, particulam Quia in istis propositionibus rational-
iter (saltem non ratiocinativè) accipi: non tamen sequitur in-
de, eam propterea non capi etiam causaliter. Sicuti enim pari
hic (atque aliàs etiam extra metaphysicæ pomæria) passu ambu-
lant Causæ & Rationis vocabula: ita etiam Causaliter & Ratio-
naliter non differunt, nisi quod Causaliter specialius etiam, & in
oppositione ad Rationaliter, sumi possit, prout nempè non nu-
dam causam illativam, sed productivam simul, eamque in rigore
talem, importat. Sed quicquid etiam de hisce terminis fuerit:
certè neminem credo grammaticorum esse, qui magis propriè *Q*
Quia sumi, cum causam productivam, quam cum illativam, no-
tet, concessurus sit. Proinde nihil jam causæ erit, quamobrem
non æquè Causales Propositiones sint dicendæ, quæ sub respectu
causæ illativæ tantum, quam quæ sub respectu causæ productivæ,
aliquid enunciant. Vidit ex obscuro hanc veritatis lucem B.
Jac. Martini: hic enim ubi L. 3. Instit. Logic. cap. 13. p. 327. Pro-
positionem illam, Quia luna deficit, interponitur inter illam &
solem terra (repudiatam à Fonseca, aliisque) recensuisset, hanc
atque similes tolerari posse dicit: non quidem (quod addit) ut in an-

antecedente sit causa, sed potius effectus, ex quo iudicium fiat in con-
sequenti de causa.

§. 30. Constitit huc usque de Veritate propositionis Cau-
falis in communi. Jam quid ad veritatem cujusvis Causalis in
specie (juxta eas differentias, quas supra §. 21. atque sequentibus
constitui) sit necessarium, facile ex forma earum propriâ intel-
ligitur. Videlicet præter duo illa generalia requisita, quæ §. 25.
attigi, ad veritatem Illativæ in genere requiritur, ut in antece-
denti contineatur causa consequentis illativa cujuscunque gene-
ris (sive simul productiva fuerit, sive illativa tantum :) ad veri-
tatem Causalis specialiter sic dictæ, ut in antecedenti detur causa
effendi seu productiva propriè dicta (sive realiter sive virtualiter
causans) ejus, quod in consequenti prædicatur: ad veritatem Il-
lativæ tantum, ut in antecedenti allegetur solum causa cogno-
scendi seu illativa consequentis (sive ea sit effectus rei proprius,
sive signum aliquod aut infallibile aut probabile :) ad veritatem
denique purè enunciativæ, ut in antecedenti contineatur causa
vel impulsiva, vel finalis, vel sine quâ non, aut simile quid, ad
cujus positionem actu ponatur & consequens.

§. 31. Restat, ut de Falsitate propositionis Causalis sub-
jungam aliquid. Scilicet ex iis, quæ supra §. 25. tradidi, ultrò
jam relinquitur, eam in genere propositionem causalem Falsam
esse, cujus vel antecedens vel consequens, vel utrumque in se spe-
ctatum, falsum est, vel cujus saltem antecedens non continet
causam qualemcunque consequentis. Ut adeò ex g. sequentes
propositiones causales falsæ sint: Quia lapis vivit, substantia est:
Quia anima humana ex elementis est conflata, tandem moritur:
Quia angelus substantia est, naturaliter nunquam interit: illa
nempe, propter falsitatem solius antecedentis; ista propter fal-
situdinem & antecedentis & consequentis; hæc, quod in antece-
denti allegetur causa consequentis, quæ tamen causa illius pror-
sus non est.

§. 32. De cætero hinc cum maximè dignum observatu,
quod una eademque propositio causalis, ad aliam atque aliam
speciè, ex intentione dicentis, relata atque adeò sub alio atque alio sen-
su intellecta, simul & vera & falsa esse possit. Ita namque hæc
pro-

positio : Quia Sempronius , homo aliàs inexorabilis ac tenacis-
mus, hodiè sub egressum ex urbe à mendico fuit rogatus, stipem
ei ingentem dedit : si ad genus illativarum relata sub sensu illa-
tivo proponatur aut intelligatur, falsa est ; quoniam consequens
ad antecedens per bonam consequentiam minimè sequitur : vera
autem, si ceu purè enunciativa sub sensu positivo tantùm (quem
tradidi suprâ) capiatur ; quoniam fieri certè pōtuit, ut tum con-
tra ingenium aliquando egerit Sempronius , uti hic refertur.
Sic ista propositio : Quia homo crescit, animam habet : si tan-
quam causalis specialiter sic dicta sub sensu causali productivo
accipiatur, falsa haud dubiè est ; quia accretio, cujus in antece-
denti fit mentio, non est causa animæ, quæ prædicatur in conse-
quenti : est tamen vera nihilominùs, si ut illativa tantùm sub sen-
su causali merè illativo intelligatur ; siquidem ex accretione re-
ctè ac infallibiliter colligitur animæ præsentia, Et ita planè in
similibus.

§. 33. Sed quæ de veritate & falsitate causalis hætenùs
differui, de Affirmativâ à me intellecta fuisse, neminem esse opi-
nor, qui non ex exemplis id ipsum cognoverit. Nunc quænam
in Negativis hujus generis vera sit, quæque falsa, ex iisdem, quæ
disputata hætenus sunt, haud difficile erit colligere. Quoniam
enim in Causalibus (sicut & in cæteris compositis enunciatio-
nibus) non nisi contradictoria datur oppositio ; hujus autem per-
petua ac infallibilis lex est, ut, unâ oppositarum verâ existente,
altera omninò falsa existat, ac contra : oportet sanè, omnem il-
lam causalem negativam veram esse, cujus opposita affirmativa
falsa existit ; & contra, si secus. In exemplis si id ostendi cupis, en
causales Veras : Non quia lapis vivit, substantia est : Non quia
anima humana ex elementis est conflata, tandem moritur : Non
quia angelus substantia est, naturaliter nunquam interit : Falsas
verò, Non quia lapis est gravis, descendit : Non quia Deus est
independens, est æternus : & ita porrò.

§. 34. Satis prolixè hætenus de natura & varietate pro-
positionis Causalis egi ; idque eum in finem nempe, ut tanto re-
ctiùs declarari mihi atque ostendi posset, quid de propositis illis

duobus assertis, *Quia res praescita à Deo, ideò futura est, & Quia res futura est, ideò praescita à Deo,* deq; ipso adeò problemate nostro, quod ex iisdem constare supra patuit, habendum videatur. Nam quod dictae sententiae Causalibus propositionibus accensendae sint, non tantum ex hypothesis omnium, qui materiam hanc pertractant, omninò certum est, verum etiam ex iis, quae 9. ac 10. §. exposui, cum maxime dilucescit. Quapropter de eo jam disquirendum superest: num alterutra, & ultra earum, an verò utraque, vel vera vel falsa sit? numque adeò dici cum nonnullis possit aut debeat: *Non quia res futura, ideò praescita à Deo; sed, quia praescita à Deo, ideò futura?* an verò cum aliis asserere fas sit: *Non quia res praescita à DEO, ideò futura; sed quia futura, ideò & à DEO praescita?* aut quid denique aliud hinc statuere conveniat.

§. 35. Nemo autem opinor, inde non intelligit, principaliter eò totam delabi controversiam, ut disputetur: num vel Praescientia divina sit aliqua Futurorum causa, ut dici possit, *Quia res praescita à DEO, ideò futura est?* an verò contra futura sint causa divina Praescientiae, quamobrem dici queat, *Quia res futura est, ideò & praescita à Deo?*

§. 36. Atque sanè Justinus Martyr Futura causam praescientiae (qualem nam? jam non inquirō) disertè nuncupare non dubitat, dum in Exposit. Quæst. 58. *Non causa ejus, ait, quod futurum est, prænatio; sed quod futurum est, prænationis. Neque enim prænationem sequitur, quod futurum est, sed quod futurum est, prænatio. Ita fit, ut non Christus proditionis causa sit, sed proditio causa est Domini prænationis.*

§. 37. Ex

§. 37. Ex adverso autem dantur alii, qui Præscientiam divinam futurorum omnium causam faciunt. Nec enim possunt aliter, quin ita sentiant, quotquot Scientiam visionis in Deo (quæ ipsa Præscientia est) causam rerum creatarum esse docent: uti docere in Scholasticis nominatim Zumel, Crabrera, Alvarez, Cabezudo, Svarius, Navarret ac Ledesma Didaco Ruizio dicuntur, disp. 15. l. c. sect. 3. n. 1. p. 121. Quò referri ab aliis communiter & ii solent, qui scientiam simplicis intelligentiæ, sed cum libero voluntatis divinæ decreto conjunctam, causam rerum esse dicunt: quod facere, post Scholasticorum nonnullos, hodiè Reformatos potissimum videas. Quamquam ego existimem, hos causam futurorum non tam in scientiam, quam voluntatem divinam refundere; quemadmodum ex explicatione, quâ isti utuntur, nec non hypothese illâ, quam fovent de absoluto rerum omnium decreto, ni fallor, haud obscure patet.

§. 38. Vidimus huc usque sensum controversiæ, & quæ circa eandem supponi debebant: reliquum est, ut decisionem ipsam, quam fieri solide accurateq; possit, nunc tandem subjungam aliquando. Id verò commodius haud videor facturum, quam si de singulis, ad quæstionem nostram pertinentibus, meam sententiam, quam veram opiner, particulatim explicem, rationibusq; quas habeam, optimis quæque asserta probare ac evincere instituat.

§. 39. Ut igitur totam rem ab ipso principio inde usque repetam, dico jam *I. Præscientiam divinam non esse causam futurorum essendi, seu productivam, realiter causantem.* Idq; hunc in modum demonstro.

Primum enim in confesso apud omnes est, nec temerè negari à quoquam potest, quamlibet Causam (præsertim realiter causantem) istiusmodi rationem essendi illius esse, cujus causa esse dicitur, ita ut nisi ista esset, etiam nec hoc esse omninò posset. Jam autem si rei futuræ conceptum persequamur, nihil repugantiæ (quantum ad eam) involvi deprehendimus, si vel maximè rem aliquam futuram, nec tamen præscitam esse, cogitemus. Argu-

mento itaque est, præscientiam rei futuræ causam dici haud posse aut debere. Deinde certius longè atque evidentius est, causam omnem naturâ priorem suo effectû esse; nisi enim esset naturâ prior, & ad fieri effectus præexigeretur, tum nec dare effectui suum esse per ipsius productionem posset, adeoq; ne quidem causa esset, dum esset; id quod sanè contradictorium. Tantum verò abest, ut divina Præscientia naturâ prior sit re futurâ, sub statu futuritionis suæ spectata, ut potius ipsa res futura quâ talis, eò quòd præexigatur à præscientiâ, tanquam ipsius objectum necessariò suppositum, in signo rationis, ut loqvuntur, naturâ prior sit præscientia. In signo rationis, inquam: hoc est, non reapse quidem: quoniam nec essentia divina, cum quâ idem in re est præscientia, quicquam se naturâ prius reverà agnoscit, nec res futura, quâ talis, cum jam ab æterno esse dicitur, priusquam actu existat, aliquid positivi est, quod antecedere realiter divinam essentiam aut præscientiam possit; sed saltem quâ modum nostrum intelligendi imperfectum, at in re ipsa tamen eatenus fundatum, quatenus nihil attingi à divinâ præscientia, ut futurum, posset, nisi id jam ante ex se & citra intuitum præscientiæ per suam causam fuisset extitutum, atque adeò (ut congruentius conceptui loquar) jam tum, ubi attingeretur à præscientia, rationem futuri haberet. Relinquitur ergò, præscientiæ divinæ, causæ nomen respectu futurorum haudquaquam posse attribui. Tum autem, si esset omninò futurorum causa divina præscientia: annon sic & malorum omnium, quæcunque in hoc mundo unquam eveniunt, non dicam auctor, sed causa productiva Deus existeret? Certè enim hæc ipsa, non minùs, ac bona, priusquam evenirent, futura fuerunt, adeoq; æquè præscita à Deo, atque reliqua è bonorum genere, extitura aliquando. Postremò si causaret præscientia divina, quas attingit res futuras, quia necessariò eas attingit (siquidem impossibile est, Deum non præscire quicquam, quod futurum est) necessariò quoque easdem causaret sive produceret: & consequenter quælibet res futura aliquando à divinâ præscientiâ necessariò causaretur: nihilq; adeò, quod olim præscitum, aliquando eveniret, contingenter, seu ita, eveniret, ut potuerit etiam non evenisse: sed quicquid eveniret, eveniret necessaria-

cessa-

cessariò, seu ita, ut per & propter præscientiam divinam, necessariò causantem, non posset non evenire; quod quàm absurdum rationi humanæ sit, quamquam adversum omnium hominum moribus ac institutis, neminem, nisi mentis expertem, rerumq; omnium ignarissimum latere potest.

§. 40. Dico *II. Nec esse Præscientiam causam Futurorum, saltem virtualiter causantem.*

Pro quò quidem ostendendo unicum mihi argumentum suffecerit: idem scilicet illud, quod proximè antecedenti §. non procul ab initio urgebam. Nam nec causa, saltem virtualiter causans, aliquid esse potest (uti ex communi hujus termini usu, supra §. 19. à me explicato, constat) nisi eo, cujus causa sit dicenda, ad nimum conceptu prius existat. Jam autem satis paulò ante fuit evictum, non tam præscientiam futura, quàm futura præscientiam, in signo rationis antecedere. Non igitur apparet, quò jure aut prætextu præscientia divina futurorum causa, saltem virtualiter causans, queat appellari.

§. 41. Dico *III. Multo autem minus Futura esse causam Præscientiæ productivam, realiter causantem.*

Sicut enim præscientia divina ad modum divinæ essentiæ, cum qua idem est realiter, simpliciter independens est, atque adeò nullum sui principium productivum agnoscit: ita tanto minus à re creatâ aliquando futura effici realiter atque produci potest; quoniam cum jam ab æterno datur divina præscientia, nondum adhuc existit res creata, quæ eam efficere potuerit: nec, si daretur omninò, agere tamen in intellectum divinum, de se absolutè perfectum, & stimulando eundem, scientiam sui in ipso producere valeret. Sequitur ergò, futura causam præscientiæ divinæ productivam realiter causantem putari ac dici hautquaquam posse.

§. 42. Dico *IV. Esse tamen nihilominus Futura causam (aut, si dicere mavis, conditionem) sine*
quâ

quâ non divinæ Præscientiæ. Id quod ex requisitis
Causæ sine quâ non, jam supra §. 17. à me adductis, facile demon-
stratur atque evincitur. Si quidem quod futura nec influant in
præscientiam divinam per realem ipsius productionem, nec in-
fluendi vim habeant, jam satis ex iis constare puto, quæ pro pro-
ximè antecedenti asserto probando allegavi. Interim tamen
esse ea conditionem necessariò prærequisitam ad præsciendum
(ita ut, nisi res de se, priusquam præsciri cogiteretur, jam ante fu-
tura sit, etiam nec dari aut esse in Deo ulla circa eandem præsci-
entia possit) hæc dubitare de eo omninò prohibent, quæ modo
pro primâ assertionem argumento secundo discussi.

§. 43. Atque locutionem hanc, quâ utor in præsentem as-
sertione, primum in Scholasticis Lombardum invexisse reperio:
ut qui I. Sentent. L. d. 38. futura præscientiæ divinæ non esse cau-
sam simpliciter, sed causam sine quâ non, affirmat. Sed quo sen-
su tamen eam usurparit, mihi non satis liquere fateor. Idem e-
nim & Scientiam, prout præscinditur à beneplacito voluntatis,
rerum causam sine quâ non esse ibidem asserit: id quod tamen in
eo significato, quo nos terminum Causæ sine quâ non, hinc atque
supra accepimus, dici certè haud poterat. Ruizius difficultatem
hanc soluturus disp. 15. l. c. f. 2. n. 1. p. 120. *Infinitum discrimen*
inter utramque causam sine quâ non esse dicit. Nam prædicta sci-
entia, ait, quantumcunque præscindatur à beneplacito, realiter, ve-
rè ac propriè influit in res creatas. Vocatur autem causa sine quâ
non, quoniam est indifferens, quantum ex se est, ad producendum,
vel non producendum effectum: expectat enim determinationem
liberæ voluntatis. Quo sensu generalis Dei concursus, solus & astræ,
quamvis realiter ac principaliter influant in plurimos effectus, vo-
cari possunt illorum Causa sine quâ non, ad quos producendos expe-
ctant determinationem alicujus cause secundæ. Sed è contrario res
create licet necessariò requirantur, ut à Deo sciantur, nullo prorsus
modo realiter influunt in præscientiam Dei. Unde is etiam disput.
36. f. 1. n. 9. pag. 308. negat futuritionem rerum, causam sine quâ
non præscientiæ esse: Causa namq; sine quâ non, inquit, pro-
priè est, quæ propriè influit in effectum, ita tamen, ut non præcipuè
causet,

causet, quamvis requisitus sit ejus concursus. Enimvero utrobique alienam termino isti significationem affingit Ruizius, & in priori loco non tantum causam universalem cum causa sine qua non turpiter confundit, sed & talia de divina scientia predicat, quae quidem ipsi minime conveniunt. Ut adeo dubium sit, num mentem Lombardi recte exposuerit. Sed quid attrinet, de verbis multum velitari, aut isti adeo inhærere, quod hujus loci non est.

§. 44. Potius pergo in decisione coepta, ac dico
V. Quin etiam posse Futura causam Præscientie virtualiter causantem appellari. Nam quæ-

cunqve aliàs causæ virtualiter causanti assignantur conditiones essentielles (definitione supra à me comprehensæ §. 19.) eas omnes citra absurditatem, ac optimo jure, futuris per respectum ad divinam præscientiam tribuas. Primum enim futura, quæ talia, ratio essendi divinæ præscientiæ sunt; quia futuritio rei facit, ut sit divina præscientia, ita ut, si illa non esset, etiam ne hæc quidem esset. Sunt item futura, ratio essendi præscientiæ à priori; sic ut (pro more intelligendi nostro loquendo) prius futuritio- nem rei dari ac objici divino intellectui oporteat, quam ille ferri ad rem futuram atqve ejus elicere præscientiam ex se possit. Denique & istiusmodi ratio essendi præscientiæ futura sunt, ut, posito, aliqua futura esse, simpliciter impossibile sit, eadem non præsciri à Deo, atqve adeo in ipso eorundem dari præscientiam.

§. 45. Insolens, fateor, quam jam tradidi, assertio est, & quantum mihi constat, in terminis vix ulli usurpata: non tamen plane nulli tacta unquam aut proposita. Nempe ex eo saltem nova videri ista poterat, quod termino Causæ virtualiter causantis utatur: pro quo quidem alii vocem Rationis in materiâ præsentis adhibent, idem de cætero in re nobiscum docentes. Quid enim Fonseca aliud, quam quod ego in hæc atqve superioribus conclusionibus inculcavi, innuere intendit, cum L. 6. Met. c. 2. qv. 4. s. II. p. 131. inquit. *Ita patet, divinam præscientiam neque esse causam, neque rationem, cur futura contingentia eveniant: sed potius ipsa contingentia, quæ eventura sunt, esse rationem, cur Deus eorum habeat præscientiam: veram enim ejus causam ea esse non posse,*

D

posse,

posse, perspicuum est. Et paulò post: *Nihil autem est aliud, futurum eventum esse rationem, cur Deus illius præscientiam habeat, quam esse objectum, quod supponitur præscientia.* Ita quoque ejusdem planè sententiæ cum hæc nostrâ assertione quintâ illud Smisingi pronunciatum est, quando is num. 115. l. c. p. 376. *conditionem & rationem præsciendi esse futuritionem, dicit, & conditionem non præsciendi non futuritionem.*

§. 46. Aliàs cognata huic assertioni nostræ ista Alberti, Bonaventuræ atque Gregorii videri poterat locutio, quando nempe illi (Vazquezio n. 45. l. d. & Smisingo num 118. l. c. id referentibus) futura causam dominationis præscientiæ divinæ appellitant. Etenim non malè ita futura nuncupari, inde haud difficulter potest intelligi, quod (uti Smisingus interpretatur,) *quæ nunc præscientia dicitur, si nihil futurum fuisset, solum scientia diceretur, juxta illud Hug. Victorini Lib. 1. de Sacram. P. 2. c. 16. Si futura non essent, in Deo præscientia non esset; sed ex hoc nihilominus in Deo fuisset, quia ipsa, quæ præscientia est, scientia fuisset.* Quò faciunt, quæ in verba hæc Victorini (planè ad mentem Smisingi) commentatur Vazquezius l. c. *Quasi dicat (Victorinus:) eadem essentia Dei maneret, quæ esset rerum possibilium scientia, sed cum non haberet respectum ad futura, præscientia non diceretur: solumq; Deo dominatio & respectus rationis deesset.*

§. 47. Sed dixi notanter: cognatam istam locutionem nostræ assertioni videri posse. Etenim sicut non planè idem cum nostra eam, etiam sub sensu à nobis admissio intellectam, inferre, ex dictis liquet: ita tantum abest, ut, quos jam auctores citavi, idem hîc mecum sentiant, ut potiùs, dum futura causam denominationis præscientiæ dicunt, id exclusivo sensu capiant, nullam adèò in rei veritate futuris causæ denominationem respectu præscientiæ divinæ relinquentes. Si modò vera sunt, quæ Did. Ruiz. Disp. 36. s. 1. n. 8. p. 308. de Alberto, Alexandro, Bonaventura & Richardo memorat, quod isti *futuram existentiam, præscientiæ divinæ causam, sive simpliciter, sive quodammodo, sive causam sine quâ non appellare, ex eo sint veriti, quod nomen cause dignitatem adferat, vel (uti idem Ruizius disp. 15. s. 2. n. 9. p. 121. de Bonaventura refert) quod causa semper importet honorabilitatem*

rem respectu illius, cuius est causa. In quam sententiam & ipse Ruizius loco utroque concedit: *id in posteriori eorum subjiciens: sine dubio melius fore, ita loqui, solummodò concedendo, creaturas, quæ futura sunt, esse objecta simpliciter requisita ad præscientiam illarum, quia nisi futura fuissent, non præscirentur esse futura.* Enimverò quæquam facilè largiar, futura rectè objectum divinæ præscientiæ dici: non tamen inde sequitur, propterea causæ appellationem futuris planè nullâ ratione respectu præscientiæ divinæ posse tribui. Neque verò illud, quod initio urgebatur, quicquam ad hoc persuadendum momenti habet, quod videlicet nomen causæ aliquam dignitatem seu honorabilitatem, respectu ejus, cuius causa est, adferat: siquidem id non tantùm de cæteris causarum generibus, quæ vulgò constituunt, sed de ipsa efficiente quoque, fermè innumeras, uti constat, patitur instantias. Sed ego misis hisce pergo ad reliquas decisionis nostræ partes.

§. 48. Atque dico jam *V I. Esse alias Præscientiam divinam atque Futura sibi mutuo causas cognoscendi seu illativas: hoc est; Et Præscientiam esse causam cognoscendi seu illativam rei futurae, Et rem futuram Præscientiæ.* Id verò operosa probatione haud indiget. Nemo enim non animadvertit, aut dubitat vel minimum, ex eo, quod aliquid sit à Deo præscitum, rectè ac infallibiliter inferri, id ipsum quoque esse futurum: & contra ex hoc, quod aliquid sit futurum, rectè iterum ac infallibiliter colligi, id ipsum quoque esse à Deo præscitum: illud quidem propter intellectus divini infallibilitatem; hoc verò propter absolutam ejus perfectionem. Ut adeò optima sit consequentia in istiusmodi collectionibus: Res hæc est à Deo præscita; ergò futura: & contra, Res hæc est futura; ideò à Deo præscita.

§. 49. Dico *V II.* Atque adeò veram in genere Illativarum, ac sub sensu illativo, utramque harum propositionum causalium esse: & *Quia res præscita a DEO, ideò futura:*

& *Quia res futura, ideò à DEO præscita.*
Etenim constitit suprâ §. 30. hanc propositionem Causalem Illativam veram esse, quæ veram consequentis causam illativam in antecedenti continet: continere autem omninò, quas hîc allego, satis superq; ex proximè antecedenti assertione patet; ita ut quicquam eam in rem dicere amplius sit profus supervacaneum. Atque idem illud, quod jam tradidi, etiam Excellentissimus nostras Theologus Dn. D. Joh. Meisnerus c. 2. l. c. th. 31. (unus inter cæteros, quos quidem mihi videre hîc contigit) pridem ante me satis perspicuè, eleganterq; uti solet omnia, docuit: *Si de causa illationis quærat, inqviens, nemo dubitat, quin præscientia divina & res futura sibi mutuò sint causa inferendi, & unum ex altero per bonam consequentiam derivari ac colligi possit. Rectè enim eo pacto dicitur, præscientiam Dei esse causam rei futurae, & rem futuram esse causam præscientie Dei. Quia Deus præscivit, rem futuram esse, futura quoque est, & quia res futura est, DEUS quoque eam futuram esse præscivit.*

§. 50. Dico VIII. Sed si tamen eæ, ad genus Causalium specialiter sic dictarum relatæ, sub sensu causali productivo intelligantur, illam tantum veram esse, *Quia res futura, ideò & à Deo præscita:* & alteram falsam, *Quia res est à Deo præscita, ideò quoque futura.* Uti enim tum prior istarum propositionum in antecedenti causam illius, quod in consequenti prædicatur (etsi saltem virtualiter causantem, juxta 44. §.) continet: ita posterior non nisi causam consequentis illativam (juxta 49. & 48. §§.) complectitur. Relinquitur ergò, priorem sub sensu causali sumtam veram esse; falsam autem, sub sensu eodem intellectam, posteriorem.

§. 51. Dico IX. Unde, si idem genus Causalium specialiter sic dictarum intelligas, atque adeo & eundem sensum causalem productivum respicias, rectè jam dici: *Non quia res præscita à Deo, ideò futura; sed potius, quia*
res

res futura, ideò & à Deo præscita. Quoniam enim (vi §. proximè antecedentis) prior harum propositionum, sub sensu causali productivo spectata falsa est; & posterior contra, sub sensu eodem considerata, vera: non potest non prior in comparatione ad posteriorem negari: tametsi ea aliàs in se sumta ac spectata sub sensu alio, sibi proprio, verissima sit.

§. 52. Neque enim id insolens omninò, sed & in aliis exemplis similibus est usitatissimum. E multis pauca seligam ac sistam hic oculis: sic reliqua ejus generis facilè cuilibet sese ostendent. Nemo hanc Causalem, in se spectatam, Quia aliquid à Deo produci potest, ideò id ipsum in se possibile est, credo, vocabit in dubium: rectè enim consequens ex antecedenti, ceu causa sui illativa, consequitur. Et nihilominùs tamen, si eandem cum istà, Quia aliquid in se possibile est, ideò & à Deo produci potest, compares atque contendas, vix quoquam repugnaturò, rectè sanè dixeris: Non quia aliquid à Deo produci potest, ideò id in se possibile est; sed potiùs, quia aliquid in se est possibile, ideò à Deo potest produci: tum enim idem in priori attenditur sensus, qui in posteriori obtinet, videlicet causalis productivus; sub quo quidem posterior vera, prior autem falsa existit. Ita nullus omninò erit, qui de veritate illius propositionis, absolutè consideratæ, dubitandum censeat: Quia homo respirat, vivit; siquidem consequens infallibili sequelâ ad antecedens sequitur. Et, si tamen cum istà conferatur: Quia homo vivit, respirat: nemo non intelligit, hanc præ illâ potiùs affirmandam, dicendumque in comparatione mutuâ & sub respectu sensus ejusdem: Non quia homo respirat, vivit; sed potiùs, quia vivit, respirat. Idem habendum & de illâ propositione: Quia Deus prædixit aliquid esse futurum, revera id futurum est. Hæc, inquam, vera haud dubiè est, si absolutè consideretur, & quæ sensum

illativum tantum, quem de se gignere potest. Quod si tamen illa sub eodem genere cum ista ponatur: Quia aliquid revera futurum erat, à Deo fuit prædictum: sique adeò sensu eodem, quò hæc (scilicet quoadantenus productivo) intelligatur: tum quia prior Illativa tantum est, posterior autem purè enunciativa quidem, magis tamen Causalis, quàm prior (cum in illius antecedenti saltem effectus, in huius autem, causa sine quâ non illius, quod in consequenti effertur, sit allegata) non malè, priori negata, posterior asseritur, dicendo: Non quia Deus prædixit, aliquid futurum esse, ideò id futurum est; sed quia aliquid revera omninò futurum erat, ideò id ipsum Deus prædixit. Ita enim & Patres jam olim locuti sunt. *Non quia futura prædixit, ait Chrysostomus Homil. 60. in Matth. super illud Matth. 18. Væ mundo à scandalis, idcirco evenient, sed quoniam omninò ventura erant, idcirco prædixit. Non enim fierent, si nolent ea excogitare nequam homines atque pestiferi: quod si ventura non fuissent, nec ipse futura prædixisset.* Et Hieronymus in Ezech. cap. 2. *Non quia illa ventura cognoscit, inquit, necesse est nos facere, quod ille præscit: sed quod nos propria voluntate sumus facturi, ille novit futurum, quia Deus est.*

§. 53. Atque in eum sensum, ni fallor, optimè omnium interpretantur ista Patrum dictoria, cum quæ jam, de prædictione divinâ loquentia, allegavi, tum quæ supra (§. 5.) de præscientiâ Dei agentia, huic ipsi disquisitioni subjeci. Neque dubium mihi est, quin & cæterorum doctorum mens, si explicanda plenius iisdem fuerit, eodem huc reditura fuisset. Alii aliter eam rem expedire satagunt. Forasan autem vix quisquam propius datæ nostræ interpretationi accessit, præterquam Fonseca. Is enim L. 6. Met. c. 2. qu. 4. §. II. p. 131. *Atque hoc pacto, inquit, intelligendi sunt Patres, sum ajunt: Non quia Deus præscit futura, idcirco illa futura esse: sed contrà, quia illa futura sunt, idcirco Deum ea præscire*

re: ita ut in priori pronuntiato non solum negent, divinam præscientiam esse veram causam; sed etiam rationem futuri eventus: in posteriori autem alterum tantum asserant, nempe futurum eventum esse rationem divinæ præscientiæ, non item causam. Cæterum, quod Patres propositionem illam, Quia Deus præscivit futura, ideò futura sunt, (quam negant) sensu non nudè illativo (quo aliàs vera est) sed productivo, seu causali specialiter sic dicto (quo accipitur posterior, quam affirmant) intellectam velint, vel ex eo est apertissimum, quod eum præcipuè in finem istam inficiuntur, ne, propterea hominem peccaturum, admittant, quia id Deus præscivisset, hoc est, ne Deum aut ipsius præscientiam aliquo modo causam futuri peccati esse largiantur; uti ex contextu locorum adductorum haud difficile est perspicere. Conf. Vazquez. n. 37. & Did. Ruiz. disp. 36. s. 1. n. 6. l. c.

§. 54. Dico denique X. A vero autem aberrare, quotquot asserunt: *Non quia aliquid futurum est, à Deo præscitur; sed potius, quia à Deo præscitur, ideò est futurum.* Nam quod ad priorem propositionem Causalem, quæ negativa est, attinet: illa nec, si absolutè & in se spectetur, vera est; nec, si relativè & sub sensu posterioris: non, si absolutè; quia ejus affirmativa, quæ remanet, demptâ negatione, in se spectata, vera est, & sub sensu causali illativo, & sub productivo; uti §. §. 49. & 50. vidimus: nec, si relativè; quoniam quocunque sensu capiatur posterior (sive illativo, sive productivo) utroque tamen istam priorem falsam esse, jam constitit. Quod verò posteriorem propositionem Causalem, quæ affirmativa est, concernit: tametsi ea, in se spectata, & sub sensu illativo tantum sumpta, aliàs verissima sit (uti §. 49. evictum:) quoniam tamen hîc in oppositione ad priorem, atque

atque adeò eodem sensu, quò prior, per particulam Non præfixam, vera esse negatur (sensu nempe productivo; si quidem sub illativo priorem veram esse, nec illi inficiantur, quorum aliàs est ista locutio) accipitur: sequitur, eandem nihilo secius ad mentem loquentis atque vi contextus falsam esse; quod demonstrasse hinc sufficiebat.

§. 55. Itaque paruit, veram non esse sententiam, quam ex Augustino, Gregorioque atque aliis statim 3. §. dissertationis hujus citabam. De cætero, annon omninò, & quomodo, Patres isti excusari nihilominus possint & debeant? ego quidem (cùm res proluxa nimis ac intricata, forsitan etiam parùm fructuosa sit) disputare hinc supersedeo. Qui volet autem, adeat doctores, scholasticos præsertim, semel atque iterum hætenùs à me allegatos. Mihi enim hæc saltem breviter de proposito problemate philosophari libuit: sed citra tamen ullius præjudicium aut contradictionem; si cui rectiora perspicere undecunq; datum fuerit.

D. L. E. G.



